

DE PERSONA EXERCITATIO.

Sub Aufsicio

SACRO-SANCTÆ

TRINITATIS,

In electoralib[us] Borussorum

Academia,

Ex decreto

Amplissimi Senatus Academicis

Pro loco inter Professores

ORDINARIO

Publicè proposita

M. LEVINO POUCHENIO Reg.

Borus. Metaphys. Profes. &

Eccles. aulico,

Respondente

MICHAELE EIFLERO

Cint. Borusso.

Ad diem 3. & 4. Sept. horis matutinis

In auditorio Majori

REGIOMONTI,

Excudit Laurentius Segebadius, Anno 1626.

Inv. 173

295156



264034

Erga
Illustris Magnificos,
Dominos
Ducatum Borussiae Regentes

Dn. FRIDERICVM BVRGGRA-
BIVM & Baronem à DHONA, Praefectum
supremum

Dn. IOHANNEM TRVCHSES
von Weßhausen Burggrarium eminen-
tissimum

Dn. MARTINUM à Wallenrodt Can-
cellarium praeclentissimum

Dn. ANDREAM von Kreyßen / Archi-
marschallum spectatissimum.

Prosapiā Generosos
Virante Nobilissimos
Officio Sirenuos

Patronos Opt. Max.
Exercitii hujus Academicī oblatione submissā
Gratitudinem debitam, Observantiam
devotam declarat

M. Levinus Pouchenius.

AVSPICIIS SACRO-SAN- CTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

Non minus in fôro Theologico, quam Philosophico, terminum PERSONÆ freqüentem habere usum, nemo tam est in arena literaria hospes, qui ire inficias queas. Quod igitur majori cum fructu & feliori progressu in Philosophicis disputationibus, & Theologicis certaminibus versari possumus, in naturam & conceptum universalem hujus termini, ejusdemq; ad conceptus mysticos applicatione, pro felici laborum Ordiniorum introitu, inquirere constituimus; id quod eos deceat, qui pie Philosophari in futuros Theologici studiis usus allaborant. Verum non adeò errata est hac via; idcirco iter hoc difficilius nobis fore ominamur. Materia abstrusa est; Veritatis itaq; circa eam inventio laboriosior. Attamen, nec hoc, nec illud nos terrere debet, cum perpetua comes rerum pulcherrimarum, difficultas sit: neq; nos latet, Gracius Doctoribus την καλα ducorū esse. Inquiramus ergo, idq; methodo convenienti, per theses, canones & quæsiones.

Tu verò O AETERNE DEVS, qui inhabitas lucem
ἀπόστολον, accende in nobis veritatis lucem: Nostra
enim hac in studiis literarum peregrinatio, sine supernâ
luce, miserabilis quadam est erratio.

MEMBRUM. I.

THESES

De.

NOMINE, DEFINITIONE PERSONÆ.

I. Utile est Epictetis monitum, αρχὴ παιδεύσεως ἡ τῶν
ἀρμάτων σκέψις, ideo, quia usus nominum perturbatus no-
titiam ipsarum rerum perturbat, Galeno teste, libro 3. de
simplicib. Med. facult. Hinc Scaliger asserit, voces in cogni-
tionem rerum nos deducere solere.

II. Quantum itaq; nomen PERSONÆ attinet, id
Gellius lib. s. N. A. cap. 7. lepidè & scitè à personando, C.
Basso authore, faciūm esse dicit. Nec improbat originem
hanc Petrus Lombardus lib. 3. d. 10. L. B. ideoq; negat ani-
mam Christi, licet sit substantia rationalis, esse personam,
quia non est per se sonans: Verum ēτυμον hoc allusivum esse
quilibet videt.

III. Scaliger lib. 1. Poet. cap. 13. reprehendit Cellium
his verbis: Persona dictus est habitus is fictus, qui verum
imitatur, non quemadmodum Aut. Gellius refert à perso-
nando, sed quod erat περὶ τῶν circa corpus. Sed duo hic
observamus. 1. Quod male præsupponatur, personam
gantum denotare habitum comicum. 2. Quod si hæc de-
rivatio

Tivatio pro vera haberetur, vix ratio dari posset, cur potius persona & non persona diceretur.

I V. *Alstedius cap. 2. lex; Theolog pag. 21.* conjectat, Personam dictam esse, quasi per se unam: At Etymologia hæc tanquam nimis remota & violenta, meritò exploditur. Verior nobis videtur illorum sententia, qui personæ nomen primitivum dicunt: si tamen quis id derivativum esse velit, putamus veram & convenientem ejus Etymologiam nondum inventam esse: de quâ certent Philologi.

V. *Gracis dicitur ἵπασις, ἀπὸ οὐφίσαθαι;* Quæ vox πλυστήμως accepta reperitur: potissimum tamen notat subsistentiam. Huic apud Græcos æquipollit πρόσωπον, uti videre eR, tom. 2. tract. de definit. apud Athanasium.

V I. *Hebrei* personam efferunt voce פָּנִים, quæ vox propriè faciem notat, eò, quod è facie de personis judicium facere soleamus. *Rabbini* utuntur voce קְצַפְנָה hoc est, vultus, aspectus, persona, notante David de Pomis in Lexico suo & Buxtorf. in Lexico Rabinico; à quâ voce latinum vocabulum Persona venire quidam autumant, nec adeò inscite.

V I I. *Vocabuli Personæ tria sunt significata præcipua:* sumitur enim 1. *Vulgariter ac politicè*, pro attributis hominis sive internis sive externis, animi vel corporis: ideoq; huc referuntur omnia illa, è quibus de Individuis judicare, ac per quæ illa discerni consueverunt; qualia sunt, gens, patria, opes, dignitates & similia. Hoc significatu usurpatum legitur à Paulo, 2. Cor. 5. 11. Cicerone, lib. 1. Rhetor. Ubi loca à personis, nomen, naturam, vitium, habitum & alia ejusmodi explicat. 2. *Comicè*, pro ḥērōn aut officii distinctione: quō sensu in theatris personæ dicuntur, quæcumq; certas personas repræsentant. Lusit hanc significatione *Servetus Hispanus*, eamq; ad articulum Trinitatis

tatis detor sit, dicens: unum & eundem DEUM, pro diversitate officiorum, aliquando Patrem, interdum filium, non nunquam spiritum sanctum se nominare. *Sic lib. 2. de Orator.* Cicero inquit, sustineo unus tres personas, meam, adversarij, judicis. 3. Philosophè idq; dupli potissimum significatione, prior est *Abstractiva* & *Formalis*, notans substantiam vel Personalitatem, quæ dicitur ipsa ultima perfectio & incomunicabilitas; Posterior *Concreta* & *materialis* connotans essentiam, cujus ultima perfectio & incomunicabilitas est. Sensu Philosophico vocem Personæ & *Theologi* accipiunt, iisq; tria denotant: I. ~~substantiam~~^{substantiam}, quæ in divinis ab essentiâ re non differt; sed tantum ratione ratiocinata. II. ~~unus~~^{simplicem} naturâ constantem III. Compositam induabus naturis substantiæ.

VIII. Habet Personæ vox Terminos æquipollentes, ut *Individuum*, substantiam primam, suppositum, naturalem, ~~unus~~^{simplicem} &c. qui pro Synonymis quidem à multis habentur, accurate tamen si persistentur Synonyma non sunt, quippe quod vox Personæ solum tribuatur naturæ intelligenti; reliquæ vero aliis quoq; substantiis, quæ tales non sunt.

IX. Ex illis, quæ diximus, facile intelligitur.
I. Vallam graviter hallucinari, qui lib. 6. Eleg. cap. 34. contra Boetium contendit, Personæ vocem duntaxat qualitatem denotare, neq; verum esse, eandem significare individuam substantiam rationalem ut Beemannus de originib. lat. ling. pag. 603. ait. Cum usus vocis Personæ substantialis sit I. Postior, reliquæ vero in ordine & analogia ad illam: is enim qui in theatro personam agit, illam propriea agere dicitur, quia repræ-

repræsentat aliud suppositum verum, quod verè substantia est. 2. *Vetus* ior, quippe, quod paulò post remora Apostolorum Latina Ecclesia vocem Personæ significatione substantiali in articulo de Trinitate usurpat: ut videre est apud *Tertullianum adversus Præteritum*. 3. *Frequentior* apud latinos authores, Cicero, Plinium, Quintilianum, Valer. Max. &c. item in jure non raro Personæ vox substantialiter usurpatur. Sic S. Scriptura eandem significationem probat. Act. 10. 34. Rom. 12. II. 2. Cor. I. II. Gal. 2. 6. Eph. 6. 9. I. Pet. I. 17. &c. Ex hoc frequentissimo vocis usu etiam factum esse autumo, quod Patres promiscuè voce substantiæ pro Persona & contra usi fuerint, ut videre est apud *Basilium epistola* 43. p. 646. *Hieron. tom.* 2. *epistola ad Damasum*, pag. 131.

3. *Vocabulum ὄμοιστεως* s. *Personæ* (hoc enim ipsius Synonymum est: nam quod scriptura ὄμοιστεως appellat, id Ecclesia Personam vocavit) non esse nomen ἀγενός, nec novellum; sub quo aliquid venenæ latitet, quo prætextu specioso olim Arrius & Sabellius multos turbarunt, cum non ab hominibus confictum sit; sed in ipsis etiam Scripturis usurpatum, præsertim in epistola *ad hebreos*, c. I. v. 3. ubi vox ὄμοιστεως minus convenienter per essentiam, ut pleriq; papiculæ opinantur, quibus tamen contradicit Cornelius Cornelij de Lapiðe in commt. super hunc locum, num. 23. pag. 884. sed rectius per personam exponitur. cum ratione ὅτιas inter Patrem & Filium sit mera identitas, ut Filius secundum ὅτια imago Patris esse nequeat, quia aliquam requirit differentiam: accedit & hoc, quod λόγος non essentia, sed personæ Patris Filius sit; persona enim generat, non essentia: Unde non essentia sed personæ imago esse potest.

2. Personam & naturam non esse synonyma, sed differre:
Quod probè observandum, ne è confusione vocom,
Nestorianismus, dualitatem personæ, ob dualitatem
naturarum, quæ idem sunt, introducens: & Euti-
chianismus, ob personæ unitatem, unitatem naturæ
arguens, quia duo illa non differunt, ab orcu revoce-
tur. Differt autem persona à naturatum universalis,
quod hæc, in quantum universalis in mente solum
subsistat, & multas comprehendat personas: illa vero
extra mentem existat & partem aliquam essentiae ha-
beat: tum singulari, ut terminatum & terminans, ut
res & rei modus, quia hæc terminatur, illa terminata,
quod discriminem non rationis est, sed in re fundatum,
de quo mox fusi.

*X. Quiditas Personæ definitione inquiritur, quæ ta-
lis Persona est subsistentia naturæ intelligentis incommunicabilitas.
Eam resolvimus in Genus & Differentiam.*

*X I. Generis loco subsistentia ponitur, quæ latior est
personā. Necessariò enim, omne genus specie suā latius
est: Jam vero omnis Persona est suppositum: (nam subsi-
stentia & suppositum abstractè sumptum, synonyma sunt)
sed non omne suppositum est persona; siquidem suppositum
se se extendit ad substantias tam rationales, quam irratio-
nales. Persona autem tantum ad rationalem substantiam:
dicitur illud quod totam & completam habet substantiam;
Characteristica & personali proprietate limitatam.*

*X II. Quod, ut rectius intelligatur, probè inquiren-
dum quid persona natura superaddat, & quomodo ab eadem
distinguitur, s. quid ultra naturam dicat. Ubi principiò no-
tetur hic sermonem esse de naturā non in communis, sed sin-
gulari quæ cuivis homini in individuo competit; Neg-
Christo denegari potest, quamvis non habeat debitam na-
ture.*

eure personam. Ideoq; quod cæteris hominibus
datum per quod sunt persona, & quid Christo homini ne-
gatum, quo minus sit persona, hoc erit quod ultra naturam
requiritur ad personæ seu suppositi rationem.

XIII. Hoc vero quid sit, non una omnium est sen-
tentia Durandus in 1. dist. 34. q. 1. & Heinricus Gandav. quod-
lib. 4. q. 4. docuerunt, naturam singularem & suppositum
humanum seu personam solâ ratione distingui, ex modo
concipiendi nostro, ita ut vera sit hæc propositio, Paulus
est sua humanitas singularis: idq; propterea, cum Paulus
nihil aliud sit, quam hoc compositum, ex hoc corpore &
animâ, & hoc ipsum est ejus humanitas singularis: quæ
opinio & Aristotelis fuisse ex 7. Metaph. cap. 12. colligitur,
ubi docet τὸ quid est, esse idem cum eo, cuius est. Verum
redarguitur hæc opinio falsitatis *suppositio incarnationis my-
sterio*: credimus enim λόγον singularem humanam natu-
ram, constantem animâ & corpore, assumisse, sine persona
creatâ: necesse itaq; est, ut distinctio aliqua in re interce-
dat, inter hanc humanitatem & propriam ejus ὑπόστασιν:
Quandoquidem hæc humanitas, quæ est in Christo, est na-
tura singularis creatâ; illi autem aliquid decebat, quod præ-
ter naturam ὑπόστασις superaddit. Nec ratio in contrarium
posita quicquam obtinet: nam si materia & forma præcisè
sumantur, ut sunt partes essentiales, negatur ὑπόστασις nihil
aliud esse quam Compositum ex hæc materiâ & formâ,
cum Christi humanitas composta sit ex hæc materiâ & hæc
formâ, & tamen suppositum humanum non sit; si vero ma-
teria & forma præcisè non sumantur, sed prout etiam se-
cum adferunt substantiam, tunc sequitur, quod afferunt:
quod tamen hic in quæstione positum non est.

XIV. Scots in 3. dist. i. q. 1. a. 3. ejusq; sectato rum sen-
tentia est, ὑπόστασιν ultra naturam singularem nihil positivum

dicere, sed ab eadem differre per negationem dependentiae ad aliquod suppositum. Quæ sententia solis verbis à priori distat, & improbatur, quod multis modis in Theologiam impingat; nam sequeretur inde, quod tres personæ in mysterio trinitatis quâ tales, meritis negationibus constituerentur, quod ἀθεόλογον: quis enim nescit illas personas realibus ac positivis rationibus constitui, quamvis relativis: si jam in Divinis persona aliquid positivi ultra naturam dicit, licet ratione tantum distinctum: multo magis in creatura addet aliquid positivum in te distinctum, ob creaturæ imperfectionem. Nec satis congruit illa sententia ad mysterium incarnationis: docent enim omnes orthodoxi λόγον assumisse humanitatem & non personam; eodemq; sensu ajunt, λόγον assumendo humanitatem, impius personalitatem, quia hanc λόγον supplebat per suam ipsius personalitatem; jam vero non impedivit nec superplicavit meram negationem, sed aliquid positivi.

X V. Aliqui ajunt Personam naturæ addere accidens aliquod proprie sic dictum, quæ opinio, Thomæ tribuitur à Suario Metaphys. disp. 34. Sct. 3. n. 1. & 16. sed ut falsa improbatur, quia humana natura Christi, habet omnia accidentia naturalia, quæ ad ejus perfectionem spectare possunt, nihilominus personalitas propria hominis in illâ non est. Deinde certum est personam subsistentiam denotare; non itaq; ad accidens, sed ad substantiam, cuius complementum est, pertinet.

X VI. Remotis his & aliis opinionibus statuimus cum AEgid. Rom. tract. de compos. angelorum quæst. 5. personam ultra naturam singularem dicere positivum quendam modum, qui significat per se subsistere: Ubi per se subsistere non opponitur inhærentiæ, seu modo essendi in alio, accidentibus proprio, sed sumitur pro perfectissimo modo per

se subsistendi, quo res maximè & principaliter per se subsistere dicitur, removens dependentiam ab aliquo sustentante. Fundamentum nostræ assertionis hoc est: Quicquid ab alio distinguitur, non ut res à re, nec prorsus per rationem, sed à re modaliter, id necessario est modus rei: atque persona à natura distinguitur non ut res à re, nec prorsus per rationem, sed à re modaliter, nam si persona & essentia actualis realiter essent distinctæ, sequeretur hoc inconveniens, quod per alium modum hæc duo deberent uniri: duo enim realiter distincta per modum quendam uniuntur: Ergo Persona est modus.

XVII. Positivus vero est modus, quia ponit aliquid reverâ, in rerum natura, præcisâ mentis operatione. Quemadmodum itaq; affectiones Entis positivæ dicuntur, quod Ens de se dicatur unum verum bonum, non per operationem intellectus: Ita modus hic personalitas dicitur positivus, quia ab eo Ens tale denominatur non per operationem intellectus, sed de se absq; respectu ad intellectum operantem.

XVIII. Sed non facile hoc quisquam in controvèrsiam vocabit, quod Personalitas in abstracto sumpta, in rebus creatis modus sit: an vero propterea in Divinâ essentiâ modus ditendus dubium est? Quod tamen facile tollitur, modo hoc attendatur, omnem terminum, respectu nostri actionis impositionis primò creaturis competentem Deo & rebus divinis posse imponi, si primum purgetur ab imperfectione. Ita & vox Personæ item q̄ modi per analogiam & Proportionem in summâ eminentiâ, omne prius & posterius omnem compositionem & imperfectionem excludens, in mysterio Trinitatis optimè adhiberi potest, ut dicere queam, persona Divina est modus. Divinæ essentiaz: hoc est ut se habet in proportione regis in rebus creatis;

ita se habet persona in Deo. Nec certe aliud est, quod hoc exprimamus, quod in Deo personalitas vocatur: si enim revera in Deo est, erit vel essentia, vel accidens vel modus; quartum dari nequit: Atque essentia non est, quia ita plures essentiae darentur: non accidens, quia ita simplicitas Dei colleretur: Ergo modus erit.

XIX. Per omnia hic nobiscum facit Damascenus, qui liber. de dialect. cap. ult. p. 673. docet, Personam divinam quandam esse rationem existentiam divinam: ac non communiter acceptum, ubi essentia rationem principii tenet, modulus principiati, cum a Deo omne imperfectum sit removendum: verum rationem araxur. h. e. im principiatum, sine imperfectione, sine dependentiâ. Ex his omnibus sequentia deducimus.

1. Subsistentiam & personam in substantiis rationalibus esse ultimum complementum natura singularis, in ratione existendi incomunicabiliter. Quod etiam termini existendi & subsistendi planius explicant. Existere enim dicit Ens quod est extra causas, quodque se indifferenter habet vel ad modum existendi, innitendo alterius sustentanti, vel ad modum existendi, sine aliquo sustentante. Subsistere vero declarat modum determinatum limitans existentiam indifferente ad modum existendi per se, & sine aliquo sustentante. Quamdiu itaque existentia non est determinata modo, adhuc est incompleta, & in statu potentiali, nec habet subsistentiam. Unde ultius patet crassum eos errare errorum, qui assertunt existentiam esse idem cum subsistentia: cum existentia constituat solum rem in actu. Subsistentia vero rem in actu constitutam faciat per se independentem ab omni sustentante: de quo alibi.
2. Personam a natura formaliter s. ex natura rei realiter non,

non distingui, neq; illi realitatis aliquid superaddere; Ratio est, quia Persona modus est: nullus vero modus a re cujus est modus realiter distinguitur, nec illi aliquid realitatis superaddit. Ergo quoq; cum eo cujus est modus nullam compositionem realem facere possit.

3. Personalitatem a natura, cuius est modus virtute divina separari posse. Nam omnis modus potest abesse a re cujus est modus, quod etiam hoc medio confirmatur: Quocunq; nos possumus separare mente, ea vere possunt a DEO separari, separatione reali. Unde porro sequitur: naturam absq; modo esse posse, nec statim ubi natura est, ibi ejus sit modus oportet: quia modus a natura cuius est modus separari potest. Ceterum quidem hoc est, quod modus hic, Personalitas, formam sequatur; sed non semper: fieri enim potest, ut ultimus ille actus propter unionem cum alio impeditur. Ergo quoq; in Christo duplex natura humana & divina esse potest: licet utriusq; Personalitas non adsit; sed sufficit alterutra, quod iterum Photini sequaces obseruent.

4. Personalitatem dum hominibus, angelis, & Deo tribuisur, obtainere rationem conceptus analogi, non univociter cum Deus a creatura differat in infinitum. Unde sit, quod quidem definitio personæ omnibus his tribuatur; quia vero hoc non sit eodem modo, non licet idem ex eadem in omnibus inferre: idq; quod modus attributionis varius tollat identitatem collectionis.

Hucusq; de Genere.

XX. Differentia gemina ponitur, una Materialis & Strictior, Formalis altera & latior: falsissimum enim est unius

nius rei unam duntaxat dari differentiam, licet unica sit
unius rei forma; nam differentiam ipsam formam esse, er-
ronea est. Ramistarum opinio, cum notissimum sit, differen-
tias etiam desumi à Causa efficiente, à fine, à subjecto &c.

XI. *Illud Subjectum Personalitatis exprimitur, quod*
intelligens natura, ita ut Persona specialem suppositi di-
gnitatem & perfectionem ex parte naturae, cui inest, dicat
quod intellectu praedita sit. Intelligentus vocem convenien-
tissime usurpamus, non rationalis, quippe quod hæc im-
perfectionem involvere videatur. Nam in rationale, in
rigore, non nisi de eo dicitur, quod per discursum intelli-
git, adeoque intellectione successivâ, successione tali, quæ sit
à noto ad ignorantem: cum verò hoc modo nec DEO, nec
Angelis, competit, rectius vox intelligens, iisdem com-
muniis, adhibetur. Additur etiam vox Naturæ, ut inte-
grum ac totale subjectum Personalitatis exprimeretur,
quod intellectus praecisus non est, sed totum compositum,
quod diximus intelligentem naturam. De hæc natura no-
retur, quod convenientius dicitur subjectum quam materia
Personæ: idq; propterea, quod Persona modus fit: modi
autem ad id cujus modi sunt collati, habent ingenium af-
fectionis: affectio vero est subjecti & non materia affectio.

XII. *Hæc, voce incommunicabilis notatur, quæ ulti-*
mum subsistendi actum dicit; nam quod ultimò actuatur
in ratione existendi non cum alio potest uniri & communi-
cari ita, ut cum illo & ab alio communem existendi ratio-
nem accipiat: alias enim actuaretur ab alio, sicq; ultimò
actuatum non esset. Äquipollentes Ergo sunt loquendi
modi ultimato subsistere & incommunicabiliter subsistere.
Unde ratio formalis Personæ sive dicatur esse incommu-
nicabili

nicabilitas subsistendi sive ultimata subsistens utrumque
verè dicitur.

XIII. Siquidem Persona ē numero illorum est,
quæ in definitionum suarum generibus ipsum actum & ra-
tionem formæ includunt, ubi formæ generum non distin-
guuntur à formis specierum, nisi certis causis & certis sub-
jectis. Sic incommunicabilitas in essentia sua solum re-
strictionem genericam habet, & tam suppositi, quam Per-
sonæ rationem formalem compleat: limitanda itaq; à sub-
jecti conditione ita, quod sit incommunicabilitas naturæ
intelligentis. Exemplorem declaramus, in definitione
eclipteos defectus luminis ipsam formalem rationem Eccli-
pseos dicit, simulq; genus exprimit: in definitione vero
specificâ, Ecclipteos lunæ, addenda est differentia, non
quidem specifica; sed à subjecto, in quo est, petita, quâ re-
stringitur ad Lunam, diciturq; quod sit defectus luminis in
lunâ.

XIV. Ne vero Termeni incommunicabilis ambi-
guitas nobis negotium facessat, operæ pretium erit notare,
eum non intelligendum esse, ac si in Personam nulla o-
mnino cadat communicatio: sed quod non possit commu-
nicari cum alia Persona, ut fiat una Persona: cum naturâ
autem alia omnino potest communicari, etiam in naturâ
realiter: sic quando elementa in mixto sunt, non per pro-
pria *ὑφισάμενα* in eo sunt; sed sunt unum *ὑφισάμενον*
in mixto, sic idem aurum sive in propria sit substantia,
sive in aliena, per calorem resolutum, est individuum;
sed eandem incommunicabilitatem & suppositi ratio-
nem non habet: squidem per resolutionem pro-
priam subsistentiam amisit, atque ita communicabile fa-
ctum est ex incommunicabili, facilique negotio cum
alio communicari, communicatum cum illo unum *ὑφισά-*

pervov constituere & in alio supposito subsistere potest: ut in poculo exaurato, non propria, sed poculi seu argenti substantia aurum subsistit. Nec aliter se res habet in ferro candente, ubi ignis in unione cum ferro, proprium suppositum, quod per se habet, amittit, quia in ferrī suppositū assūmitur.

XXV. Hinc planum est, quod non pugnet cum incommunicabilitate Personæ alienam in se recipere natūram, quamvis hoc ipsum ob subjecti Personæ perfectionem naturaliter fieri non possit: nam si incommunicabilitas suppositi in naturis imperfectioribus & brutis naturaliter admittit communicationem alterius naturæ, quid vetat quo minus idem fieri possit, non obstante incommunicabilitate Personæ, per potentiam diuinam, in naturā supernaturaliter agentem.

XXVI. Ubi per obliquum monemus huc, quando unionem hypostaticam modo supernaturali factam esse assimus, non hoc dicimus, quasi ita facta sit modo naturæ diuinæ & humanæ planè repugnante, quem semper comittatur corruptio ac destructio: sed ita explicamus, quod DEUS, agens voluntarium, ita super suam naturam se dimiserit, ut humanam naturam assumeret; & quod humanam naturam supra seipsum elevaverit, in substantiam supernaturalem, quod verè supernaturale est, nec ullo modo naturaliter fieri potuit: non tamen ita, supernaturale est, ut sit contra naturam, eandemq; destruat, sed Potius gradu excellentissimo ac planè mystico perficiat.

XXVII. Stat ergo thesis verissima, quod Personam esse vel communicabilem vel incommunicabilem, cum alia natura, non sit de ratione formalí Personæ; sed incommunicabilem esse cum alia persona, personæ rationem formalem constitutam.

Hinc

1. Intelligentem naturam non esse rationem formalent Personæ. Nam formalis ratio, quam Persona in abstracto dicit, non est Entitas quædam nova; multò minus substantia quædam realiter distincta, sed est modus substantialis, ut è dictis patet. Quomodo ergo substantia intelligens erit illa forma? Nec sufficit, quod Intellexus Personam à supposito distinguat: non enim id statim est forma, quo aliquid ab alio distinguitur, cum non ratiōnes à re per accidentia, cum propria, tum communia, itemq; per subjecta distinguantur. Sic per risibilitatem equus ab homine; per subjecti diversitatem fragor in nube, à fragore in ligno differt.

2. Personam & suppositum non differre formaliter. Ut enim ratio formalis suppositi in eo consistit, quod substantiæ individuæ, incommunicabilitatem quasi superaddat: sic etiam Persona dicit formaliter incommunicabilitatem subsistendi: - distinguuntur tamen, sed non nisi subjecti diversitate. Et nil quoq; obstat, quod suppositum genus Personæ dicatur, generis vero & speciei sit alia & diversa ratio: siquidem diversa est generis & speciei ratio formalis, ibi, ubi datur genus verum & accuratum: Deinde ubi differentia sumitur à formâ & non à subjecto: jam autem suppositum verum genus Personæ non est; sed solum rationem generis induit, cum latius quoad subjectum pateat. Nam modi, è quorum numero etiam Persona est, propriè genera non habent, cum genus, quia vox essentiæ est, tantum illi, quod essentiam habet tribuantur: verum modi distinctam essentiam ab illis, quorum modi dicuntur, non habent: Ergo neq; pro-

primum genus, sed aliquid analogum assumitur, ut
duntaxat aliquā ratione describantur.

3. Non omnem communicabilitatem repugnare singu-
lari, sed eandem, quæ est per modum Universalis:
quomodo animal est communicabile inferiori-
bus specie distinctis, homini & Bestiæ; ac homo est
communicabilis inferioribus numero distinctis, Jo-
hanni, Petro &c. Languida itaq., imò nulla est Ap.
titrinitariorum objectio; si DEI essentia est commu-
nicabilis pluribus, cum non est singularis, numero
una, sed universalis: Nam licet essentia divina com-
municabilis sit Personis, iisdem tamen non com-
municatur, ut specie, aut numero distinctis.

MEMBRUM. II.

CANONES DE PERSONA

1. Persona solius substantia proprium est. Hoc est, per-
sona πρώτως iis saltem competit, quæ genere substantia-
rum sunt: nam accidentia non suppositantur, nec per se
subsistunt, sed alii inhærent, in quo per inhærentiam suam
subjectantur. Imò si maximè accidens, per D E I poten-
tiam, à subjecto separatum existeret, minimè tamen sup-
positum esse potest.

2. Non omnis substantia Persona est. Nam illa substan-
tia verè Persona dicitur, quæ completa est, & sine unione
alterius subsistit, à quo in existendo sustentatur. Nulla itaq;
pars est Persona: sic anima itemq; corpus hominis Personæ
non sunt, quia entia incompleta sunt; sed homo constans
corpore & anima Persona est, quia non pars, sed substantia
com-

Completa est. Quod vero anima separata à corpore per mortem Persona sit, dubium non est, quia tunc subsistit tanquam Ens totum, plenum ac perfectum.

3. Quicquid per se non subsistit non est Persona. Non enim est ultimo completem quid in ratione existens: nec independenter subsisteret, verum in alio sustentante existet. Unde facile colligitur, humanam Christi naturam non esse Personam, cum non in se, sed ex ratione subsistat. Nihilominus vere & realiter subsistit: nam staruere humanam naturam veram substantiam, & ipsi denegare substantiam, & hereticum, pura Eutichianum, & absurdum esset. Quam in sententiam pulchre Damascen. lib. 3. orthod. c. 2. avto τῷ θεῷ λογοτεχνίας τῇ σάρκῃ πασαται.

4. Omnis Persona est suppositum & singulare quid. Sed non contra. Omne suppositum est Persona, nec omne Individuum est suppositum: quia quilibet natura singularis in quoemque genere sit, potest dici Individua; suppositum non dicitur, nisi natura singularis in praedicamento substantiaz; nec quocunque talis, sed solum completa: Persona dicitur idem illud in natura intellectuali tantum, v. g. Angelis, hominibus & ipso DEO. Durand. 2. sens. d. 3. q. 2. & l. 3. d. 1. q. 1. n. 17. Singulare quid est Persona, cum Persona sit ens revera extra intellectum existens & tale vero quid semper est singulare. Universalia itaq., quae solum entia rationis sunt, Personæ non sunt: nec genera & species: neq; animal & homo ut species acceptus; sed hic vel ille homo, nimisrum Johannes, Petrus &c. & ita singularis homo, est & verè dicitur Persona.

5. Quicquid removetur à formale ratione suppositi, id quoque removetur à formalis ratione Persona. Ita patet, nam eam est utriusque formalis ratio suppositi & Personæ, tantum

ex parte naturæ seu subjecti distincta, ac ita determinata,
ut in Persona sit natura intellectualis: in supposito vero
subjectum seu materia neq; intelligens neq; non intelli-
gens.

6. *Persona non differt numero ab essentia cuius est Persona.*
Certum hoc, etenim si essentia & Persona distinguuntur
numero, Persona sumitur vel in concreto vel in Abstracto
pro Personalitate, quæ modus est. Non illud, ita enim so-
hannes qui est Persona duas haberet essentiam suam singu-
larem, & essentiam singularem Personæ sive, quod absur-
dum. Non hoc, quippe quod Personalitas, non habeat de-
se ac per se aliquam realitatem, non sit essentia, sed aliquid
essentiæ; non Ens absolute, sed entis modus.

7. *Personæ inter se numero distinguuntur.* Sc. si sumatur
concretæ in diversis subjectis: ita Petrus, Paulus, Joha-
nes præsentes, numero differunt, quia tum eadem earum
est ratio, quæ est essentiæ. Si vero Personæ sunt in eâ-
dem essentiâ, in eodem subjecto, propriè loquendo non
differunt numero, cum una & eadem sit realitas, quam in-
cludunt, præter quam nullam aliam distinctam habent.
Eo ipso negatur Personas divinas differre numero, quod
DEUS numero unus asseratur.

8. *Persona est aliquid extra Essentiam, ipsig. superad-
ditum, nempe in Ente creato: in hoc enim duo inveniuntur*
1. *Essentia præcise sumta, ex qua & cum qua alia sunt, ut
sine ea esse nequeant, nec tamen sunt ipsa essentia, hinc
dicitur Entitas radicalis.* 2. *aliquid in illa entitate ab
ipsa quidem distinctum, non tamen sine illa; sic in natura
intellectuali datur.* 1. *Essentia naturæ intelligentis; deinde
subsistencia s. Persona illius essentiæ: quæ subsistencia s.*
Personalitas est aliquid extra essentiam, cum sit aliquid in
essentia, & tamen sine ea essentia esse potest; cum alias es-
sentia

*sentia sine se ipsa esse nequeat, & quod essentiam ingredi-
tur, sine eo ipso nequeat inveniri: siquidem sine constitu-
tivis essentialibus essentia non esset.*

9. Personalitas non est propriè ipsam *Ens*, nec è numero
entium propriè dictorum, sed saltem modus *Entis*. Ratio est:
Cum omne illud, quod distinctam & peculiarem entitatem
habet, & ab alio ente, ut *Ens novum* differt, illud ad mini-
mum per potentiam absolutam divinam potest sine eo ence
esse, ut actu illi conjunctum non sit, sed ab eo separatum.
Personalitas vero nequit sine essentia esse etiam per poten-
tiam divinam: Quomodo ergo esset *Ens* vel è numero En-
tium propriè dictorum. Hoc vero non negamus, quod Per-
sonalitas entitatem essentialiter, non formaliter impicit,
quia essentialiter à natura, cuius est Personalitas non dif-
fert, sed eandem habet essentiam, quæ est naturæ, ita ut sit
una essentia naturæ Personata, & Personalitatis superad-
ditæ.

10. Personalitas & essentia non inferunt realem composi-
tionem. Ratio hujus è priori cognoscitur, quia Persona
non est è numero entium, ideoq; novam Entitatem non
affert, proindeq; non componit ut res distincta. Et sane si
essentia & modus subsistendi inferrent compositionem
realem ex re & re, quivis homo esset compositus ex essen-
tia & subsistentia, vel ut sit unum perse, vel ut sit unum
per accidens. Non prius, quippe quod sic homo singularis
sine Personalitate non esset totus, quia deficeret pars essen-
tiæ: hoc vero falsissimum est, cum hac ratione, humana
Christi natura, quæ caret propriâ Personalitate, de se con-
siderata, non esset essentialiter integra, quod absurdum.
Non posterius, quippe quod quilibet homo unam essentiam
completam dicat. Pater hinc quod essentia divina & mo-
dus subsistendi nullam inferant compositionem realem in

DEO, quia secundum fidem nostram inter Personam & essentiam divinam est realis identitas (Calumnia itaq; est, quando Sommerus in refutatione Carolini lib. 1. cap. 3. p. 25. f. 4. contrarium nos sentire scribit) ubi vero realis est identitas, ibi realis compositio locum habere nequit: immo nulla in DEO est compositio, cum ratio modi solum per analogiam tribuatur DEO, non per eandem rationem ut Creaturis, id quod Photiniiani obseruent.

XI. Nunquam est natura insitelligens absq; Personalitate, vel propria vel aliena. Hoc de quāvis substantia in genere verum est, ut vel suppositum proprium habeat, vel in alterius supposito sit. Licet enim quandoq; quādam substantia non per se, solitariè constituat suppositum, semper tamen illa in alterius supposito est, à quo sustentatur. Quae vero essentialiter de genere dicuntur, eadem de specie efferruntur. Agnoscanthine VVeigeli sequaces, Præceptoris eriorem ex part. 2, Philosoph. myst. p. 156. DEU M ante Creationem fuisse absq; uniter Personam. Ergo post Creationem factus est Persona, & sic insignitur mutatus, factus ex evūmσάτω, υποσάτ, quod Naturæ divinæ repugnat.

XII. Personalitas non est proprie ac per se principium agendi. Quia tantum modus est: principium vero operationum est essentia rei. Omnes vero modi rerum, inquit Suarez diff. 34. Met. s. 7. n. 9. qui propriam entitatem & realitatem non secum afferunt, licet s̄pē sint conditiones vel utiles vel necessarie ad operationes nunquam tamen sunt propriæ ac per se principia agendi, ut inductione facile potest ostendit. Sic in DEO principium operationis per se est natura s. voluntas divina: personalitates, ut tales, non peculiariter influunt in actionem ad extra, & hæc ratio est cur actiones ad extra in Trinitate dicantur indivisa, quia indivisa natura, voluntas & potentia. Non ergo sine ab-
surdi-

Sorditate dicitur, Personas Trinitatis esse causas socias Creationis, cum non Personæ, sed natura divina agat, & sic unum ac simplicissimum sit creationis principium.

MEMBRUM III. QVAESTIONES DE PERSONA

I. An quot sint Personæ, tot etiam sint essentiaz, numero distinctaz?

Præcipuum hoc fundamentum est, quod Photiniani Trinitatis mysterio opponunt. Ita enim Osterodus in institut. German. cap. 4. §. 2. p. 30. scribit. Wo drey Personen sind / müssen furzvmb auch drey essentiaz oder wesen gefunden werden. Quod repetit Smalcianus in respons. ad script. Ravenberg, cui titulus, par sophismat. pag. 26. tot essentias esse necesse est, quot sunt Personæ. Rationi repugnare unam numero essentiam esse in pluribus Personis, fuse docet idem in refut. duorum Singlec. librorum. lib. I. c. 18. p. 162. seq. Urgetur idipsum in Catechesi Racoviensi de via salutis cap. 1. p. 32. à Socino in lib. suasorio. Quod Evangelici &c. 4. p. 28. seq. Coslavia disp. de Persona contra Jacobum Martini part. I. cap. 15. pag. 59: aliusq; omnibus. Hinc argumentum. Quot sunt Personæ tot sunt essentiaz numero distinctaz, quia Persona nil aliud est, quam essentia individua, intelligens &c. Sed tres sunt in DEO Personæ. E, tres sunt in DEO individua essentiaz.

Consentient Photinianis multi ex Calvinianis: ita enim scribunt Anhaldini in considerat. prefat. formul. concord. p. 10. argt. 8. Impossibile est, tres modos essendi non inferre triplicem essentiam idem docet Sadees in lib. de veritat. bum, nas,

hum. nat. volum: oper. fol. 170. Vorstius in lib. de DEO &
atrib. divin. pag. 171. & alii complures.

De terminis ut simus multum solliciti opus non est,
cum in thes. satis sint explicati, & quilibet intelligat, quod
vox personæ hinc non sumatur, pro essentia, charactere
hypostatico insignita; sed pro personalitate, seu perso-
nali proprietate formaliter acceptâ, quomodo essentia
tanquam modus subjecto opponitur.

Respondemus itaq; ad Majorem I. simpliciter negando
quod absurdum sit, aut impossibile aut contradictorium
unam essentiam esse communem tribus personis: Nam
nonne intellectus noster essentiam potest abstrahere & con-
siderare, non considerato subsistendi modo? E.g. quando
universaliter in specie naturam humanam contemplamur,
quæ persona dici nequit; quia est natura communis plurimi-
bus individuis suppositis, seu humanis personis. Sine
omni itaq; contradictione, impossibilitate aut absurdita-
te, habemus naturam unam communem pluribus perso-
nis: Licet non extra intellectum complete, tamen in in-
tellectu: Iam quis nescit DEV M superabundanter posse
facere ultra omnia quæ cogitamus aut intelligimus, asse-
rente Apostolo Ephes 3. v. 20. Nos autem intelligimus na-
turam communem plurimis personis. Qui ergo implica-
ret, aut impossibile esset, DEV M posse talem dare naturam
qui potest facere superabundanter ultra omne, quod in-
telligimus. Si jam credimus DEV M, si vellat, posse date
mus DEO sese in verbo revelanti, cum esse *reipublicam*?

2. Distinguendo inter Personas in communione personarum
determinate consideratas. Ad constitutionem & differen-
tiam personarum plurium in communi consideratarum,

non

Non simpliciter requiritur, ut essentiae quarum sunt Personæ, sint distinctæ & divisæ, ut eruditus monet acutissimus Philosophus Schegkius in sua antilog. contra Servetianos, Antitrinitarios pag. 61. Sed sufficit, i. Ut una Persona non sit in alia tanquam accidens in subjecto. 2. Ut una non praediceatur de aliâ, sed ab eadem sit distincta: hæc duo ubi ad sunt, Personam esse perfectissimum non dubitabimus. Unde cum una Persona divina non insit alteri tanquam subiecto, nesciis de ea in casu recto praedicetur, rectè eas realiter differre dicimus. Quod vero distincti homines essentialiter differant & distinctas essentias habeant, in causa est, non aliqua Personarum differentia, sed materia & natura creatæ finitudo. Quicquid enim finitum est & terminis suis essentialibus circumscriptum, illud ipsum extra istos terminos alteri commune fieri nequit, alias esset terminatum & interminatum. Verum hæc finitudo à DEO sublata est: DEI enim essentia est infinita omni carens termino: proindeq; quin numero una, eademq; esse possit tribus Personis DEITATIS communis nil impedit. Termini non impediunt communicationem, quia desunt: nec essentiae distractio metuenda, quia ob summam simplicitatem nullas agnoscit partes, in quas distrahi posset. Cum itaq; in divinis cesseret causa, quæ est finitudo, ob quam essentia communis esse nequeat merito & ipse cessar effectus, ac sic consequenter absurdum non est, tres Personas habere unam essentiam infinitam, communem.

3. Consequentiā negando: à modo enim subsistendi Creaturarum finito, ad modum subsistendi infinitum & divinum vitiose concluditur, & si saltus manifestus de generi in genus: si enim dicas, tot sunt personæ, quæ essentiae: regero, illud verissimum esse, sed in suo foro, sc. quoad

quoad personas creatas, cum ex harum inductione unicē
petitum sit. Nam ibi videt ratio, quod quilibet Persona
semper individuam & numero distinctam determinat es-
sentiam: Scriptura vero in DEO peculiares monstrat no-
bis subsistendi modos, de quibus ē naturā judicium non fe-
rendum, quia scimus mysterium hoc esse ineffabile & in-
comprehensibile, cuius ratio ē naturā peti atq; sufficienter
à nobis comprehendit ac intelligi nequit. Quivis itaq;
nimadvertisit esse quatuor Terminos in Syllogismo Rhof-
nia norum: Major loquitur & vera est de Personis creatis:
in Minore subsuntur de Personis divinis, quarum diver-
sissimam esse rationem ē verbo revelato scimus, quod ut
erumq; docet, & DEUM essentia esse unum, & hunc unum
DEUM esse in Personis trinum: Ideoq; essentiaz unitas non
Personarum trinitatem, nec Trinitas Personarum unitatem
essentiaz tollit ac destruit. Videatur autor quest. Ethn. &
Respon. Christ. qui ex iustitio 3. Oper. Iustini quest. 139. p. 107.
eruditè hanc rem similitudine explicans.

Q V A E S T I O III.

*An quis verus possit esse homo, qui careat Per-
sonā humānā?*

Credunt Orthodoxi, quod licet Christus sit D E U S &
H O M O, non tamen duo, sed unus sit Christus: unus
autem non conversione Divinitatis in carnem, sed assump-
tionē Humanitatis in DEUM: unus omnino, non confu-
fione substantiaz, sed uniate Personaz: nam sicut anima ra-
tionalis & caro unus est homo; ita DEUS & HOMO unus
est Christus, explicante Athanasio in symbolo. Hæc fides no-
stra, quamvis in Scripturis sit fundatissima, in Concilis
recepit.

recepta, patrum testimonis approbata Photinianis nihilominus portentum stuporis & absurditatis plenum dicitur. Nam docere Personam secundam Trinitatis ex Virgine sumisse corpus humanum animâ rationali praditum, & pernegare Personam seu hypostas in hominu à rogo susceptam esse, adeo à Philosophia ac communi sensu abhorret, ut periculum sit, ne (saliter docentes,) à Platonico familia ut Pseudo Philosophi in usus frontibus cum ignorantia removeantur. Cui enim sano unquam persuadetur hominem, carne & anima constanter, esse naturam sine hypostasi? Verba sunt Sommeri in refut. Carolini lib. 1. c. 3. p. 26. 27. Similiter judicat Catechesis Racoviensis de via salutis, cap. 1. p. 126. 127. cum in Christo negent Personam hominis, quis non videt eos unâ cādem opere Christum verum hominem negare & consentit Socinus in lib. Quod Evangelii &c. cap. 4. p. 42. Smalcarius in examine 100. errorum, errore 18. pag. 10. & in refutat. disput. 3. thes. 5. de persona Christi D. Franzii pag. 63. & alii. Hinc argumentum. Homo sine Persona humana esse non potest: Christus est homo: Ex Christus sine humana Persona esse non potest.

Verum enim vero herum Photiniani crassam committunt auctoritatem, à natura ad mysteria, à sensu ad fidem, ab oculo ad oracula argumenta ducentes, quæ fidelis mens ut è peregrina pharetrâ penitus, & Christianæ fidei è diametro opposita, cuius coniunctio potest, juxta illud Augustini. Tom. 5. lib. 12. de civ. DEI cap. 17. p. 655. argumentationes, quibus impie nostram simplicem pietatem, ut cum illis in circuitu ambularemus de via recta conantur averttere, si ratio refutare non posset, fides irridere debet. Quod tamen plus sapere, quam oportet sapere deducane, respondemus ipsis & accurate distinguimus inter rei, de qua queritur, certitudinem. & ejus possibiliterem. De certitudine nos Theologus informat, qui immotus Scriptura dictis demonstrat, Chri-

stum esse & DEV M & HOMINEM, Jerem. 23. v. 5. 6. Matth.
16. v. 13. 16. Luc. I. v. 35. I. Cor. 15. v. 48. Ita tamen ut non
sint duo Christi, sed unus Christus. Matth. 23. v. 8. Rom. 5. v.
15. 17. unus Dominus I. Cor. 8. v. 6. Ephes. 4. v. 5. Unus
Mediator inter DEV M & Homines. I. Tim. 2. v. 5. Hoc vero
esset falsissimum, si qualibet natura integrum absolveret
Personam: sic enim emerget nota unus Christus; sed duo
Christi. Nam vero quid absurdius dici posset, quam λόγον
carere sua propria hypostasi? necesse itaque fuit, ut humana
natura sua propria subsistentia privaretur, & sic posset assu-
mi in hypostasin Θλόγον, ejusdemque fieri particeps. Hinc
non potest non esse conspicuum, si de rei certitudine qua-
ratur, hic mysterium latete, quod ē natura declarari ac de-
monstrari nequit, cum uero ergo omni si carens omni exemplo
simili. Sic itaque in natura circa verissima hęc conclusio:
Omnis homo individuus per se subsistit, propriamque Personam fa-
sit, quia peculiaris subsistentia immediatè profluit ab esse p-
tia extra causas constituta. Sed veritas creaturæ nihil præ-
judicare potest veritati divinitus revelata, ubi docemur,
quod in conceptione Christi, præter communem rerum
seriem, per inumbrationem virtutis altissimi, fluxus pro-
priae Personalitatis, à fortiori principio impeditus fuerit,
ac æternus λόγος istam peculiaris hypostaseos emanatio-
nem præveniret, inq[ue] primo formationis momento, car-
nem sanctificatam in unitatem suę Personę receperit, ut
homo, qui alias futurus fuisset ad omnes, ad unum, ut
alii homines singulares & Individui, propere admirabilis
adsumptionis superventum, factus sit non a rūmis, sed
érum, sc. ipsa Θλόγο subistentia. Si vero qua-
ratur: an sine absurditate & contradictione fieri possit, ut homo
verus & individuus careat propria hypostasi? Respondemus
Affirmative. Nam I. Personalitas in se neque materia neque for-
ma

ma est, neq; ad internam constitutionem naturæ humanæ
Peripiuet, sed est modus ac terminus naturæ, qui naturam con-
stitutam ac perfectam demum sequitur. Ad rei autem essen-
tiam plenam ac perfectam non requiruntur plura, quam essentia-
lia illius principia: Jam hominis essentialia principia sunt
Corpus & anima invicem unita: Ergo ubi illa dantur, ibi
etiam plenus ac integer datur homo, proindeq; perfecta ac
integra potest esse humana natura, sine proprio subsistendi
modo, præsertim si is perfectioris adventu impediatur, id
quod in mysterio incarnationis filii D E I factum est: ibi
enim humana naturæ Christi denegatur propria hyposta-
sis, non propter defectum alicujus rei, quæ ad essentialiem
humanae naturæ perfectionem & integritatem pertinet,
sed propter præstantiorem hypostasin ac subsistentiam Per-
sonalem, qua ex autu τῆ λόγῳ substituit. 2. Non pauca dan-
tur in ipsa naturâ exempla, ubi substantiaz formâ & mate-
riâ propria constantes ac perfectæ, non absolvunt aliquod
suppositum, ita, ut per se subsistant. Sic sal in aqua est sub-
stantia integræ & singularis, materiam & formam propriam
ab aquaz essentia distinctissimam habens, caret tamen pro-
priz subsistentia, quam impedit aquaz adventus, cuius sub-
sistentia simul uritur. Sic quævis pars toti inexistent est
singularis, nec tamen per propriam aliquam, sed per to-
tius subsistentiam existit. Item anima in humano corpore
est natura singularis, propriâ tamen hypostasi caret, quam-
diu corpus humanum informat, quia cum est pars hominis,
& per totius subsistentiam subsistit, quam ob causam propria
ejus hypostasis impeditur. Imo quævis forma substantialis
substantia singularis est, non tamen suppositum ipsum.
Unde apparet, principium singularitatis non semper esse
propriam personalitatem, sed potius productionem extra
causas, vel formationem ab agente singulari. Hæc non

incommodè applicantur ad humanam naturam Christi,
quæ itidem substantia singularis, individua & una numero,
caret tamen propriâ hypostasi, quippe quæ impedita
est adventu & λόγῳ, qui infinitas suā perfectiâ subsistentiâ
illum defectum complevit, ut nulla ratione humana na-
tura Christi, propriâ destinatâ Personalitate imperfecta
dici queat. Nam, ut eruditus Thomas part. 3. q. 4. art. 2.
inquit, Naturæ assumitæ non dæst Personalitas propter
defectum alieujus, quod ad perfectionem humanae naturæ
pertinet: sed propter additionem alieujus quod est supra
humanam naturam, quod est unio ad divinam Personam.
Quisquis itaq; videt, Majorem in argumento Photiniano
limitandam esse, hoc modo, hominem sine Persona huma-
na esse non posse, nisi DEO aliter videatur, & nisi præve-
niatur à DEO & in alienam hypostasin assumatur,
qualiter cum humana Christi natura com-
bupila 200101 paratum est, ut ostensum.



Corollaria.

I. An dentur in DEO reales Re-
lationes? Aff.

II. An quavis essentia prior sit
Personæ? Neg.

III. An

III. An Persona divina principio
careat? Aff.

IV. An DEO generatio propriè
dicta attribui possit? Aff.

V. An generatio arguat in DEO
imperfectionem? Neg.

